



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Oratio De eligendo Summo Pont. Sede vacante, post obitum Alexandri VII.
Ad Eminentiss. S. R. E. Cardd. Habita Romae in Basilica Principis
Apostolorum Die II. Junii M. DC. LXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

STEPHANI GRADII

ORATIO

De eligendo Summo Pont. Sede vacante,
post obitum

ALEXANDRI VII.

AD EMINENTISS. S. R. E. CARDD.

*Habita Roma in Basilica Principis Apostolorum
Die II. Junii M. DC. LXVII.*

PERFUNCTIS Vobis, Patres Eminentissimi, mœsto & lugubri, componendi Sanctissimi Pontificis ALEXANDRI, & novissimis honoribus decorandi, munere; ab iisque omnibus ritè expeditis, quæ ad declarandum amissi optimi Parentis triste desiderium comparata sunt more institutoque majorum; superest necessaria de renutiando successore deliberatio, quem potissimum reclinato huic tantisper humeris Vestris onerifendo præficiendum putetis. Magna, sublimis, ardua profectò res, & omnium, quæ humano consilio administrari possunt, longè maximi, gravissimique momenti. Collocandus namque est in supremo rerum humanarum fastigio, ipsiusque Dei Optimi Maximi, ut ita dicam, confessui, Vestrorum suffragiorum beneficio admovendus est unus ex Vobis, qui latissimum indè in singula, & universa, quæ sub Sole sunt, imperium, & potestatem obtineat: cujus facta pro legibus, dicta pro oraculis, placita

Cc 3

pro

pro ratione generi humano futura sint : cujus arbitrio regi ac temperari, nec inferorum portæ detrectent, nec ipsius cæli sublimitas dedignetur.

Hac ego de re in hoc amplissimo orbis terræ consilio verba facturus rudis & indifertus Orator, tremorem animo vehementer, & commoverer, si parem susceptæ causæ magnitudini desiderari orationem, & facundiam crederem; nec potiùs traditæ cuidam à majoribus consuetudini utcunque mihi parendum esse viderem. Satis enim intelligo, eâ Vos mente, eoque consilio huc advenisse: adeò intentos in commune bonum, adeò flagrantés in Dei, & Ecclesiæ charitate animos attulisse: tantâ denique sapientiâ, & rerum usu esse præditos; ut nullus sit reliquus locus disputationi, quæ Vos officii vestri rationis admoneat. Satis itaque mihi erit, si sanctissimum propositum Vestrum, si egregiam Reipublicæ in his Comitibus benè gerendæ voluntatem, vel leviter adumbrare contingat; ut in iis, quæ à me dicentur, quasi quodam in speculo, Vos ipsos paulùm; Vestrorumque sensuum, & cogitationum imaginem contemplemini.

Quò ego libentiùs, & pleniore bonæ spei cum animo in hoc argumento mihi versandum esse video; Vix enim periculum est, ne sanctus, ne innocens, ne ipsi illi, à quo proximus est futurus, quàm simillimus prodeat ex isto cœtu, quem sagacissima superiorum Pontificum inspectandis hominibus diligentia, accersendo quicquid usquam egregium est, ex omni penè lingua, & populo, & natione confluxit. Quem adeò unà cum Principe Apostolorum genus electum, & regale Sacerdotium multò ego justius appellavero, quàm ille Regis olim Epirotæ Legatus veteres Romanos Senatores Reges appellaverat.

Nec

Nec verò hæc à me colligendæ Vestræ benevolentia gratiâ, quam maximi facio, dici putate, aut quò magis amplissimâ Vestrâ dignitate delectari Vos velim; sed ut uberrimam rectè statuendi materiem, in qua versamini, Vobis ostendam; eòque minore veniâ dignum, si quod hîc intervenerit, peccatum futurum sciatis: quo cavete existimetis, ullum aliud hoc tempore, aut majus, aut gravius admitti posse.

Neque est quòd nobis magnoperè blandiamur, quasi cætera Vestra sanctitate, rebusque pro salute, & gloriâ Ecclesiæ præclarè gestis, aut gerendis, neglectam hoc in negotio officii religionem sarcire possitis. Aliæ siquidem omnes altissimi istius Vestri muneris partes, quamlibet graves & magnæ, si cum jure ferendi de Pontifice Maximo suffragii conferantur, leves, obscuræ, ingloriæ sunt; propterea quòd non ad eò propriæ Vestri Ordinis habentur, ut per alios inferiorum ordinum magistratus obiri, & explicari non possint: hac in re præcipuè censeferi, spectarique dignitatem Vestram omnes intelligunt: hac maximè potestate fortunam Vestram in aliorum Ecclesiæ Antistitum numero excellere, atque eminere: nec aliunde fieri, quòd mortalium nemo tantum sibi, aut sanguinis, aut opum, aut gloriæ magnitudine tribuat; ut accessione Purpuræ Vestræ dignitatem suam in immensum auctam, amplificatamque non putet. Frustra itaque ad debitam Ordini Vestro gloriam comparandam in reliqua Ecclesiæ procuratione strenuus, & fidelis, & officii diligens quisquam fuerit, si hac una in re cessaverit; nam ut maximè boni viri laudem ferat: decus certè recti, & constantis Ecclesiæ Romanæ Senatoris non feret.

Sed ingenia Vestra PP. EE. ejusmodi non sunt, quæ

Cc 4 ad

ad recta consilia capessenda terrore, ac denuntiationibus adigantur. Multò validior est apud optimum quemque, conciliatrix illa fortium animorum, recti, honestique species, & pulchritudo, cujus sanctissimis illecebris non vereor, ne non magnoperè in hoc negotio gerendo commoveamini, si persuasum habebitis, nulli æquè rerum mortalium Christi Ecclesiam, quàm hujusmodi Comitiiis sanctè habitis, eorumque ex sententia successui magnitudinem suam, splendoremque debere: ac si quid humanis in consiliis fuit, ut sancta illa, potentique, & gloriosa, & hostium victrix, & præliorum superstes esset, hinc potissimum fuit. Hinc etenim factum est, ut Romanis in fastis Viros suâ quemque memoriâ maximos, ac sapientissimos haberemus, qui Summi Pontifices, iidemque summi mortalium, non dignitate magis, ac titulis essent, quàm meritis, & virtute. Quod unum ad certam, & absolutam magnorum imperiorum felicitatem satis esse, non est, quod à Platone doceamini, qui tales reliquos cives solere esse ait, quales essent Principes Civitatum; multò namque vetustiore, locupletioreque hujus veritatis auctorem Spiritum Sanctum habetis, & respondentia divinibus ejus oraculis experimenta non dubia, præsertim ex Annalibus Ecclesiæ petita: cujus res maximè prosperas atque florentes, sanctissimi quique Romani Pontifices præstitère, quorum virtutis & sapientiæ, secundum Deum, beneficium est, ut compages ejus sexdecim amplius sæculorum fortunâ disciplinâque consisteret; essetque divinorum operum, quæ mente & ratione continentur, post homines natos longè latissimum amplissimumque, licet quis illam minimâ sui parte, hoc est humanis opibus, ac magnitudine metiatur.

Nulli

Nulli parcere labori, nullum non adire discrimen, certum, ac statutum Vobis esse, persuasum habeo: ut quàm speciosam hac parte, ornatamque Domini Sponsam à majoribus accepistis, eodem cultu & majestate præstantem, posteritati tradatis; ac ne de spiritu quidem ipso ac sanguine, tam præclaram in causam, si res poscat, profundendo, dubitare. Satis id, superque declarat, vel honos iste Purpuræ, quàm Vos nequaquam ad inanem luxûs ostentationem, aut oculorum oblectamentum, sed hujus ipsius constantiæ, ac fortitudinis profitendæ causâ, vetere instituto, gestatis.

Verumenimverò ad negotium, in quo versamini, minimè tantâ mole virtutis opus est. Nulla hîc Tyrannorum sævitia est, cum qua luctemini, nulli quos superetis hostes, nullæ quas vitetis insidiæ. Vobiscum demum Vobis negotium est, & cum animo Vestro, re omnium docilissimâ, cui viriliter imperetis; ut, quod optimum esse factu nemo Vestrûm ignorat, faciendum sine dubitatione statuatis: quod quidem non solùm Ecclesiæ, cui debetis omnia, sed etiam Vobis ipsis salutare, & frugiferum experiemini.

Quam ob rem non hîc ego, quod à plerisque ex hoc loco dicentibus sæpè auditum est, illud à Vobis magnoperè contendam EE. PP. ne in hac deliberatione quicquam humanæ gratiæ tribuatis; ne, quid privatim cujusque Vestrûm interfit, cogitandum, & ponderandum arbitremini. Facilè intelligo, utcunque magna, & excellens ista sit Vestra dignitas, homines tandem esse Vos, & hominum officia fungi, nec aliis artibus, quàm iis, quarum humana infirmitas patiens est, creationem quoque Romani Pontificis, ut cætera mortalia, transigendam.

dam. Non is ego sum, qui rigidam illam veteris Ecclesie sanctitatem non optandam potiùs, quàm sperandam existimem, & qui remissis longâ fortunæ indulgentiâ sæculi moribus, ignoscendum aliqua ex parte non putem; eòque damnare non ausim, si Vestram quoque rem privatam unà cum publica, unà cum gentium omnium commodis, Vestra etiam commoda, & rationes agi putetis. Præsertim quòd adeò sublimis est, & vulgarem aliorum hominum supergressa modum Vestra conditio; ut bona, malaque Vestra ad Rempub. pertineant, & pro loco, quem in Ecclesia tenetis, privata Vestra felicitas grandis omnino portio sit felicitatis communis.

Verùm hæc ipsa propriæ Vestræ utilitatis momenta veris examine ponderibus: hos ipsos calculos diligenter, accuratèque subducite: profectò invenientis, privatas omnium Vestrum rationes cum publicæ utilitatis rationibus egregiè conspirare. Optimum eligi, sine dubio publicè interest: Hoc ipsum etiam figillatim cuiusque Vestrum interesse, audacter ego, & si verè consulatur, mecum ratio ipsa pronuntiat.

Nemo dubitat, cum inter sapientes rerum suarum æstimatorum de servitii conditione deligenda consilia agitantur, summam deliberationis in eo maximè verti, ut nos jugo quàm fieri potest levissimo, & justissimo oneremus; quod ita demum eveniet, si dominum nobis sapientiâ quàm præstantissimum adoptabimus, cujus propterea potestati subiecti, à libertate, pulcherrimo animi humani bono, quando eâ necessariò carendum est, minimum distabimus.

Quid quòd ut quisque prudentissimus est, ita maximè aliorum prudentium consiliis gaudet? Quam ego
lau-

laudem in viro summi fastigii super omnes alias necessariam esse statuo; ut qui curam suam in res plurimas, ac diversissimas, nec unius mentis captui accommodatas distentam habet. Vis enim alioquin illa animi per semet excogitandi omnia, quæ agenda sunt, cui primum sapientiæ decus priscus ille Vates assignat, privatæ demum fortunæ, & paucis in negotiis versantis est. Cujus tamen decoris gloriam leviora quæque ingenia, supremam auctoritatem nacta, incredibile dictu est, quàm impotenter affectent, omnique conatu id agant, ne quid alieni consilii eguisse credantur: quâ re, quid oro magis adversarium est juri Vestro Senatorio dicendæ de Republica sententiæ? neque enim, intermisso illius usu, multum habet ista Purpura Vestra præclari.

Jam verò summi omnium beneficii, quo Vestris suffragiis extollendum afficere paratis, nec intelligens esse poterit, nec memor esse volet, nisi vir fortis, & moderatus, & sapiens. Virtus enim grati animi, more nobilium quarundam stirpium, glebæ sterilioris impatientium, ingeniis optimè à natura factis, & egregiè à bonis artibus institutis unicè lætatur; & nisi multarum præterea virtutum comitatu stipata sit, facilè emoritur, & exarescit. Quanto enim robore mentis, quantâ indole virtutis opus est, ne in summa, amplissimaque fortuna collocati ad illa vulgò jactata sese demittant, averfandi magnorum beneficiorum auctores, & quasi gratiæ, cui sese referendæ impares esse vident, rigidos exactores fastidendi? Nec verò hujus rei, aut pauca aut obscura in omni memoria temporum, exempla sunt, quæ persequi sigillatim apud viros doctrinâ, & usu rerum præstantes supervacuum judico: simul illud omitto com-

memorare, quàm vanus propterea labor, & quàm inutilis industria illa sit, quâ nonnullos antiquitus in huiusmodi Comitibus usos esse memorant, ut non tam unum aliquem animo propositum haberent, quem cæteris anteferrent, quàm id agerent, ut quoquo modo profectus, ipsos auctores tantæ sibi fortunæ fuisse, persuasum haberet.

Sed ut omittam singula rationum Vestrarum momenta nimis accuratè colligere: quid, oro, tam cuiusquam Vestrum est EE. PP. quàm Ecclesia, & Res Christiana; cuius pars multò maxima præcipuo quodam, & excellenti jure Vobis divinitus est attributa, ut omnino nihil quicquam in re familiari tam amplum, nihil in suppellectili tam eximium, nihil in bonis tam fructuosum habeatis? Ejus autem possessio non solùm Vos opulentos, & copiosos, ut aliorum hominum vulgus suæ divitiæ, sed planè terrarum Dominos, sed mortalium generis Principes, sed humanarum, divinarumque rerum potentes facit. Hanc adeò partem rerum Vestrarum potissimum Vos curare, huic incubare thesauro, pro hoc uno maximè attentos, & sollicitos esse decet. Quòd si cæterorum omnium, quæ Vestra sunt, amissionem inde, atque interitum sequi oporteret, quis tam imbecillæ mentis est, ut vulgarem nautarum sapientiam non imitetur; qui proposito tempestatis periculo, postquam levandum sibi onere navigium vident, jacturâ viliorum quarumque mercium, nobiles & pretiosas redimendas existimant.

Quantò magis hoc animo esse debetis, cum hæc ipsa, quæ rerum ego Vestrarum viliora, & leviora voco, domesticas, inquam, possessiones, & commoda, non modò magna illa, atque præclara curando non
amitti-

amittitis, aut minuitis; sed hac una maximè ratione constitutis, ac stabilitis? Nisi fortè dubium, aut obscurum putatis scitum illud Evangelicum oraculum, quo jubemur primùm quærere regnum Dei, ut hæc omnia adjiciantur nobis. Cujus oraculi profunditatem quò altius penetretis; reputate, quæso, cum animis Vestris admirabilem divini consilii vim, atque virtutem, astutis humanorum consiliorum conatibus maximè adversariam, quâ fieri plerumque videmus, ut prosperi successus eorum, quæ cautè, & providenter ad nostra commoda promovenda nobis excogitasse visi sumus, in perniciem vertant; nec ulla tam acerbè mala nos urgeant, quàm quæ ipsi nobis ultrò arcessimus, cum maximè callidi, & rerumstrarum diligentes esse volumus. Hæc est illa divina vis, quam profano vocabulo Fortunam appellamus, casuum, rerumque, occultis humanæ rationi causis nitentium, imperiosa dominatrix, cujus arbitrium severum & impotens, votis nostris accommodare, unius Dei beneficii ac muneris est. Quem certè nisi præsentem, ac propitium ædificationi nostræ domûs habuerimus, in vanum omnino lapides nostros, & cæmenta consumimus: quantò verò stultius, & inanius, si hos ipsos lapides, & cæmenta de ruinis domûs Domini, quæ nusquam certior, quàm in malis de Ecclesia consultis est, injustissimo compendio depromimus, & comparamus?

Intelligitis opinor EE. PP. quàm graves, magnæque in Vobis causæ sint, quæ Vos ad hoc munus Comitiorum sanctè, integrèque obeundum adhortantur. His tamen multò majores, & graviores in ipsa re, quam geritis, invenietis, si præsentem tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ statum paulò mecum diligentius expende-

pendetis; qui profectò tam difficilis & lubricus est, ut prorsus divino consilio factum existimem, quòd ceteris hic Vester Summorum Virorum copiâ, ingeniique, & consilii laude præstantium, ut unquam aliàs, abundat, & floret.

Non est hujus loci, pluribus explicare conditionem, quâ nunc agunt Ecclesiæ Romanæ Civitates, propter incommoda superiorum temporum necessitate contracta. Vos ipsi, quæ dici hac de re possunt, intra Vos ipsos reputate, & quâ unâ ratione datum est, languenti huic parti Reipublicæ, præsentis optimi & sapientissimi Principis remedio, subvenite.

Neque tamen de Ecclesia, quâ regnum terrenum & caducum est, ita sollicitos esse nos oportet, ut ejusdem oblitum videamur, quâ parte cælestem illam, & immortalem esse, credimus. Hæc militans in hac vita, & adversus invisibiles hostes continenter in acie consistens, Imperatorem, ac Ducem à Vobis magnis rebus gerendis idoneum flagitat. Hujus, quæso, necessitates, ac tempora Vobiscum expendite, &, quem animum erga se, quæ consilia à Vobis hoc tempore desideret, pro Vestra sapientiâ ac pietate statuente.

Hæret adhuc impressum religioni superiore sæculo gravissimum in Germania vulnus, quod florentissimæ illi nationi, multisque præterea illâ pestilentia contactis exitio fuit. Quod quidem vulnus, quanquam crudum adhuc, & intractabile meritò credidimus propter hominum contumaciam, & obstinatum ad pereundum animum; mox interposito spatio remisisse plurimum de illa pristina sui malignitate visum est, & curationis non nihil, ac medicinae patiens esse.

Hæc

Hæc res, quis non videt, quàm latum campum aperiat explicandæ futuri Pontificis charitatis, & providentiæ; si idoneis ad flectendas hominum voluntates artibus urgendum sibi pulcherrimum hoc inceptum suscipiat: & si inclinatis ad lucem veritatis accipiendam multorum Principum mentibus, ac certè Catholicæ causæ minùs, & minùs jam iniquis, uti velit, & sciat?

Nam quid ego de controversiis inter Catholicos loquar, quorum divisæ, & plusquàm civiliter in diversum propugnatae de summis rebus fidei, ac disciplinæ sententiæ, ne in malum publicum erumpant, quantâ animi contentione, quâ dexteritate, quâ prudentiâ opus esse putatis? quantæ verò vigilantia negotium, ne absurda pravorum ingeniorum industria nostris discordiis abutatur, ad promovenda sua consilia pestifera, & scelerata, fœdandæ turpissimis maculis Religionis, & gravissimis vulneribus affligendæ?

Nihilo intereà melior est in Republica, quàm in Ecclesia habitus animorum; ortis nuper, & hoc maximè tempore in germen prodeuntibus perniciosis dissensionum seminibus inter maximos, & clarissimos Principes & Reges terræ; quæ ne extinctam non ita pridem pessimam zizaniorum segetem iterum immittant in Orbem terrarum, omnemque bellorum incendiis Europam involvant, summum, præsensque periculum est; cujus periculi depulsio salutarem futuri Pontificis curam, opemque desiderat: si is magnus, & placens Deo, in tempore iracundiæ conciliator factus audire cupiet.

Sed hæc omnia, quanquam plena calamitatis, atque discriminum, ferenda utcunque viderentur, nisi unà cum
turbis

turbis domesticis urgeret externum bellum ab hoste infensissimo, cum quo rarò non infelicitè, & sine magna clade antiquitus congressi sumus. Nunc autem cum in unius Urbis irritâ obsidione alterum, & vigesimum annum hærentem cernamus, & clarissimis nostris, terræ, marique victoriis debilitatum, & inertix suæ convictum, fatis opportunam in illo materiem habemus, gloriosis, & Christiano animo dignis Romani Pontificis inceptis; respectatæ populi Christiani virtuti, barbarica ulterius illudat ignavia; cujus non intellectum ad hoc tempus arcanum, recenti hoc experimento manifestò deprehendimus: & tandem aliquando desinamus, pacem ab illo, & securitatem ingentium Regnorum concessione redimere.

De his omnibus, quæ cursim à me commemorata sunt, & omnino de summa Reipublicæ Christianæ deliberare cum maximè Vos putate PP. EE. cum de eligendo Pontifice Maximo deliberatis. Satis rectè, & terrenis Ecclesiæ commodis, & saluti religionis, & otio publico, & securitati Regnorum consulueritis, si recta hoc uno in negotio consilia sequemini: hoc est, si optimum, & sapientissimum, qui omnibus hisce consulat, & præsideat, eligetis. Qui curarum ingentium capax, non uni se familiæ, aut uni civitati, nec uni adeò provinciæ, aut uni regno præfectum existimet; sed orbem terrarum universum, quàm latissimè patet, atque diffunditur, mente, & cogitatione comprehendat. Qui adepto summo inter homines magistratu, nequaquam adeò in sublime provectum se putet, ut multum adhuc viæ sibi reliquum esse non intelligat ad sui fastigii magnitudinem virtute & meritis adæquandam: qui fructum accepti honoris non in otiosa potestatis usurpatione, & remissione

418 STEPH. GRADII ORAT. DE ELIG. SUM. PONT.
pientia spem sefellisse videamini. Denique in hac delib-
ratione, omnium maxima atque gravissima, ita mentem,
& consilia Vestra gubernate; ut exacturis quandoque hu-
jus Vestri facti à Vobis rationem hominibus, audacter,
& sine trepidatione possitis usurpare solemnes illas ceteris
Apostolici voces: ITA VISUM EST SPIRITUI
SANCTO, ET NOBIS.

D I X I.



P O E.